

$\pi$  R  
4466



h.

J



L.B. h. II, 25.

n. 1, 14

DISPUTATIO JURIS PUBLICI,  
exhibens

II R  
4466

Illustriores Controversias

**JURIS PUBLICI**  
**ROM. GERMANICI**  
Constitutionem illustrantes,

Quas  
*Illustriſſimorum Ordine*  
*consentiente,*

in

ALMA LIPSIENSI

SUB PRÆSIDIO

DN. D. CHRISTIANI WEIDLINGII,  
FAUTORIS AC DOCTORIS SUI

ÆTATEM DEVENERANDI,

D. 23. Decembr. Anno M. DCC.

publicè defendendas

selegit

CAROLUS CHRISTIANUS de DIESKAU,  
Eques Misnicus.

---

LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI Gözl.

28. 9



JURIS PUBLICI

ROM. GERMANICI

Constitutionem illustantes

THEOPHILUS



CAROLUS CHRISTIANUS DE BIESKAW

Expositor

1787


LEIPZIG

ci  
al  
ta  
E  
du  
in  
Su  
Li  
m  
gè  
ta  
te  
ess  
co  
gen  
na





## PRÆFATIO.

Uamvis Nobilissimo Tacito teste, in Aulis sæpe Fortuna pro Virtutibus esse videatur; *Jura* tamen & *Arma* validissima sunt fulcra, quibus splendida Nobilitatis structura præcipuè innititur. Si licet, libet veritatem verissimi mei asserti non solum summâ Summi Imperatoris auctoritate confirmare, *vid. arg. Princip. in Poëm. Inst.* sed & Eruditissimi Betsii assensu illustrare, qui *Jura & Arma* duas Nobilitatis alas & scalas appellare haud veretur *in erudito Libro de Pact. famil. Illustr. cap. 10. p. 721.* Sub judice tamen lis est, utri horum palma debeat. Literis faventes urgent, *Jura* pacis belli que esse instrumenta, & ad absolvendam hominis perfectionem longè plus, quàm rigida & infœcunda Martis instrumenta conferre. Quid verò illi, qui castra sequuntur? Inter *Arma* silere leges clamant, adeoque *Arma* Juribus esse superiora ac nobiliora. Etsi autem spinosa hæc controversia bigâ distinctionum, scilicet *inter Leges generales & speciales, Actus indifferentes & determinatos*, resolvi possit; ad palatum tamen est prudentissimi

mi Regis Arragonum Alphonsi prudens decisio, verbis  
brevissimis pariter ac sapientissimis concepta: *Ex Li-  
bris & Arma & armorum Jura discenda.* Huic satis  
corroboratæ sententiæ summè laudabili suò exemplò  
*Generosus Dn. à DIE SKAU, Amicus meus charissi-  
mus*, novum dat robur. Per triennium enim fermè  
in hac Alma Lipsiensi *Literis*, h. e. Philosophiæ Juridi-  
cæ, Oratoriæ Aulicæ, Juri Naturali, Privato, Feudali,  
& Publico non absque insigni fructu invigilavit, atque  
ita *Illustris Parentis* mea que vota ex asse explevit. Ast  
quid nunc? Ad Arma vocat, Generosissimosque Com-  
mitones gloriosè provocat. Sic Jura & Arma, non  
Bellonæ, sed Musarum, jucundò conjungit nexu, cer-  
toque persuadet Erudito mundo, quod post plene per-  
actos labores aliquando futurus sit Heros in Toga. The-  
ma sanè, de quo certandum, non solùm nobile, sed &  
illustre est, cum Juris publici prudentia splendidissimos  
Nobilitati largiatur radios, *arg. L. 2. §. 48. ff. de orig.  
Jur.* Et quis methodum in Polemicis hæctenus valde  
utilem visam non approbavit? Primùm enim exhi-  
bentur Theses controversæ, quæ firmis confirmantur  
probationibus, postea subjiciuntur Antitheses cum  
solidis contrariorum argumentorum resolutionibus.  
Votum addo devotum: Faxit Summum Numen, ut  
omnia cedant feliciter in Reipubl commodum, Nobi-  
litis Saxonicæ gloriam & Splendidæ Familiæ decus!

Con-

## Controversia I.

Tantum abest, ut Jus Publicum, & Politica sint termini Synonymici, ac proinde planè convenient, ut potius multis inter se differant modis.

### Probatio.

#### I.

**P**olitica enim format Rempublicam in genere, docendo quid eandem stabiliat, quidve vigorem illius decerpat: At, verò Jus Publicum formam Legibus publicis determinatam inducit, observatis probè individui circumstantiis.

II. Et cui ignotum, quod Juris prudentia publica indefessè laboret pro introducenda Justitia in actiones publicas; Politica verò prudentia utilitate publica ejusque consecutione contenta sit?

III. In confesso certe est, quod Jus Publicum habeat vim coactivam refractarios, Politica autem qua talis neutiquam. *Sprenger. Instit. Jur. Publ. Lib. 1. c. 1. p. 5. Sveder. Introd. in Jus Publ. p. 3. Bechmann. ad Aur. Bull. Exercit. num. 24. Scharsmid. Syst. Jur. Publ. p. 2. Knichen. Opus Polit. § quid. in Proæm. Thes. III. p. 6. Hopp. Exam. Instit. Imper. Lib. 1. Tit. 1. Quæst. 19.*

### Resolutio.

Objic. I. Quod Politica æque ac Jus Publicum publicam intendat salutem. E.

Sed Resp. 1 Jus privatum etiam intendit salutem publicam. E. est publicum? Absurdum.

2) Quæ ratione tertii alicujus convenient, hoc est ratione finis, non statim convenient ex affe.

A 3

3) Aliud

3) Aliud intendere salutem Reipublicæ in thesi, quod facit Politica, aliud in hypothese, uti Jus Publicum.

Objic. II. Non solum Politica, sed & Jus Publicum pro objecto Leges agnoscunt. E.

Resp. 1) Leges non sunt objectum, sed media.

2) A convenientia quoad objectum partiale, ad totalem convenientiam, non valet sequela.

3) Disting. inter LL. conditas seu ad statum publicum directas, & condendas seu ad statum publicum dirigendas: Illæ ad Jus Publicum, hæ ad Politicam spectant.

Objic. III. Jus Publicum quoad rem nihil aliud est quam Politica specialis. E.

Resp. 1) Est petitio principii, nam quia nulla disciplina ad individua descendit, quomodo, quæso, Politica hoc Privilegium sibi arrogare posset?

2) Hoc titulo Philosophi insignitum volunt Jus Publicum, quo eo melius Jurisprudentiæ jus legitimè quæsitum auferre partemque illius nobiliorem ad cathedram Philosophicam trahere possint. *Fiebig. in Select. Jur. Publ. Diss. 1. quest. 3. Ziegler. ad Grot. de Jur. Bell. & Pac. in Prolegom. p. 36. seqq. Dn. Svenden-dörff. ad Eckold. p. 12. Liebenthal. Colleg. Pol. Exerc. I. Qv. XVII. p. 19. Scharfsmid. Syst. Jur. Publ. p. 2. Valemar. de Jur. Princip. in proem. n. 13. Carl von Hagen in Jur. publ. Lib. I. c. 1. n. 5.*

## Controversia II.

Integrum non modo, sed & consultum, Jus Publicum tractare in Academiis.

*Probatio.*

I.

**Q**uia tractatio tam utilissimæ Juris speciei nullibi prohibita, eoque ipso permessa. Cap. 23. X. de Sponsal.

II. Ne-



II. Nemo profectò sibi de perfecta Juris cognitione gloriari velebit, nisi & Prudentia Juris publici sit imbutus, quæ sane pars Juris Universi est. *arg. S. 4. J. de J. & J.*

III. Ea enim, quæ in Juris publici tractatione occurrunt, Imperatoris & Statuum autoritate jam jam sunt promulgata & typis expressa. Hinc jus publicum pro arcano non est habendum, sed sedulò in Academiis inculcandum, quo in Aulis Principum applicari possit.

IV. Nec desunt Veteres Jcti, qui Jus Publicum jam olim publicè professi fuere, inter quos eminent Coccejus, Capito, Titus Aristo, Titus Manlius, Torquatus, Scævola &c. Hinc & fragmenta Juris publici antiqui in Codice æquè ac Digestis reperiuntur. *Spreng. Instit. Jur. Publ. Cap. 1. p. 4. Fiebig. Disp. 1. quest. 4. Carpzov. Jur. Consist. L. 2. tit. V. def. 407. n. 6. 7. 8. Justus Sinold. Cognom. Schüz. in Colleg. Jur. publ. Disp. 1. tb. 1. lit. C. in Exeg. Warenb. ab Ebreberg. de Fœd. c. 1. n. 74. Arum. Discurs. Jur. publ. p. 1. in præfat.*

### Resolutio.

Obj. I. Principum ac Rerum publicarum Arcana in publicum trahere, & cum extremo incommodo multorum judicio committere, haud proficuum Reipublicæ.

Resp. 1) Dist. inter arcana generalia jussu Superiorum publici Juris facta, & specialissima ad interesse Reipublicæ pertinentia. Hæc detegere haud licet, bene tamen illa.

2) Aliud est, Leges & negotia jam jam transacta modestè explicare; aliud, negotia controversa nondum determinata propalare & temere de iisdem judicare.

Obj. II. Disputantes de principali Judicio, gravissima pœna sunt affiendi. *L. 3. C. de Crim. Sacril.*

Resp. Aliud est disputare ad evertendum, aliud ad defendendum & explicandum Jus publicum: Illud interdicitur, non hoc.

Obj.

Obj. III. Autor Discursus: Ob es heilsam oder nützlich sey/  
in dem Heil. Röm. Reich Bündnis auffzurichten/in hæc erumpens  
verba: Juris publici tractatio non est privatum, sed publicum Im-  
perii negotium, damit privati homines de Schola Oratores, Dis-  
currenten und solches Volck nichts zu terminiren haben / und ist  
gewis/das solche Leute bey Churfürsten und Ständen grossen Scha-  
den thun/auch disfalls viel pecciret wird.

Resp. 1) Non videndum quis dicat, sed quid dicat, si Au-  
tor nominati Discursus veritatis solem non fugeret, nomen su-  
um tenebris haud involveret.

2) Hæc, quæ scripsit, consignavit in favorem eorum, qui A-  
cademiis nobilissimam juris portionem, Aulis vero Administra-  
tores prudentia debita ornatos invidere cupiunt.

Obj. IV. Nihil ad rem facit, quod in Institutis non agatur  
de Jure publico.

Resp. Est enim fallacia causæ non causæ. Hoc certè ideò  
factum, quod Imperatori præcepta & Elementa Juris ex Veterum  
Jctorum Libris tradere fuit propositum, ea autem Juris publici  
tractatio diffusior & intricatior fuit, quam ut ab initio tyronibus  
proponi debeat.

Obj. V. Instrument. Pac. Artic. V. §. 17. n. 54. Ne quisquam  
docendo, disputando, scribendo, consulendo uspiam impugnet,  
dubium faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur.

Sed Resp. Aliud est impugnare seriò, aliud exercitii gratia,  
quo Juris Cultores eo magis apti reddantur ad inculcandum &  
defendendum Jus publicum.

Obj. VI. Aft periculosum scribere de illis, qui possunt pro-  
scribere. E.

Resp. Largior calamò temerariò, neutiquam modesto, &  
modo venerando.

Obj. VII. Spectat Juris Publici tractatio ad Aulam.

Resp. 1) Aula & Academia non sunt non sunt pugnancia,  
sed

sed subordinata, quia prudentissimi Aulici ex Academia tanquam equo Trojano egrediuntur.

2) Dist. inter principia Juris Publici & eorum applicationem, seu inter Actum signatum & exercitum, ille spectat ad Academiam, hic ad Aulam. *Vasquius Illustr. Quest. cap. 25. n. 4. Besold. de Jurisd. Imp. Rom. c. 1. Limn. in Jur. Publ. Tom. I. Lib. 1. c. 2. n. 9. Restaurus in Tractat. de Imperat. Quest. 110. n. 299. Carpzov. Quest. Illustr. Aur. Bull. Diss. I. n. 4. 5. Dn. Svendendorff. ad Eckold. p. 12. Bachov. ad §. fin. Inst. de Just. & Jur. n. 2. Scharfchmid. Syst. Jur. publ. cap. 1. p. 5. Sweder. Introd. Jur. publ. cap. 1. §. 9. p. 7.*

### Controversia III.

Juris publici tractatio non spectat ad Politicos, nec ad Historicos, sed JCtos.

#### Probatio.

##### I.

Quia idem Juris publici considerandi modus ac Juris Privati, scilicet, ut ejus applicatione ad casus speciales sciamus, quid publicè justum, quid injustum.

II. Jus publicum absque controversia pars Jurisprudentiæ est, hinc uti totum Jus ad JCtos spectat; ita & singulæ ejusdem partes.

III. Quoniam non Politica, sed Jurisprudencia publica ad casus speciales descendit. *Dn. Svendend. ad Eckold. pag. 12. Scharfchmid. Syst. Jur. publ. p. 3. Conring. in Prefat. ad Cornel. Tac. de Mor. German.*

#### Resolutio.

Obj. I. Politici studii hujus Juridici tractationem indebite vindicare allaborantes asserunt, quod per Jus Publicum non solum LL, sed & accurata Imperii notitia tam in materialibus quam formalibus intelligatur, quod Politici muneris esse t. E.

Sed Resp. Dist. 1) inter principia adæquata & inadæquata. 2) cognitionem totalem & partialem.

B

Obj.

Obj. II. Quod Jus Publicum seu LL. publicarum scientia ad JCTos, cognitio status Imperii vero ad Historicos & Politicos spectet. E.

Resp. Lubrico nititur fundamento hæc in cerebro nata distinctio, cum cognitio status tanquam pars in Jure publico contineatur. Status enim non nisi ex Imperii Legibus atque constitutionibus dextre explicatis & intellectis cognosci potest.

Obj. III. Jus Publicum tamen facit ad plenius tradendam & illustrandam Politicam. E.

Resp. 1) Medicina facit ad plenius tradendum Jus & Medicinam forenses. E. principaliter spectat Medicina ad JCTos. Vix auditum!

2) Dist. inter professionem Juris publici quatenus amplificat ac illustrat & quatenus veritatem è Legibus publicis elicit & applicat ad casus speciales. Eo modo Politicis ex singulari concedimus liberalitate, posteriori verò nequaquam. *Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. publ. Dissert. 1. Qv. 5. & Diss. 2. Qv. 1. & 2. Dn. Sverend. ad Eckold. p. 12. Sveder. Introd. Jur. publ. part. General. cap. §. 15. Gottfr. Fiebig. l. c.*

### *Controversia IV.*

Jus Publicum æque ac Privatum ex Præceptis Naturalibus, Gentium & Civilibus collectum.

#### *Probatio.*

##### *I.*

Quia Natura homini quædam præcepta ingeneravit, quæ ad statum publicum & tuendam Civilem societatem pertinent, v. g. Deum esse colendum, ut in omni coetu sint Imperantes & Parentes &c.

II. Quia Magistratum Constitutio Juris Publici est, & tamen à JCTo Juri Gentium adscribitur. L. 5. ff. de J. & J. Taceo quod foedera & bella utramque facientia paginam in Jure Publico, ex Jure Gentium deriventur.

III. Præ-

III. Præterea occurrit non solum Doctrina de Dote, Tutela, Cura, Venia ætatis &c. quæ principaliter in Jure Privato ventilantur, sed & multa alia analogicè applicanda. *Hopp. in Commentar. ad Instit. Imper. Lib. 1. Tit. 1. p. 27.*

*Resolutio.*

Obj. I. Quod Jus Publicum non ad normam æquitatis, sed ad id, quod Reipublicæ opportunum, præcipuè aptetur. E.

Resp. 1) Disting. inter Jus Publicum in thesi & in hypothesis, seu quoad applicationem. Illo modo requiritur æquitas, quæ tamen in casu necessitatis ob utilitatem publicam quandoque negligitur.

Vel 2) accommodari potest distinctio inter æquitatem publicam & privatam, interdum posteriori per priorem derogatur vel hæc sub illa occultatur.

Obj. II. Variat Jus Publicum ratione Rerum publicarum, quia aliud in hac, aliud in altera deprehenditur Republica. E.

Resp. Idem observare licet circa Jus Privatum, quod tamen absque controversia originem ducit ex hisce principiis.

Obj. III. Nulla Juris Publici in Digestis peculiaris tractatio instituitur. E.

Resp. N. 1) contrarium enim quoad Jus Publicum antiquum de facili ex Digestis & Codice probare licebit.

2) Quoad Jus Publicum novum, Dist. inter id, quod sparsim ac in subsidium, & quod principaliter & primario fit. Nonne quæstiones multæ circa Jus dandi veniam ætatis ex Jure Privato decidendæ? Materix de Jure venandi, fluminum, quin & de Jurisdictione per se loquuntur.

Obj. IV. De solo Jure privato dicitur, quod sit collectum ex præceptis naturalibus. E.

Resp. Unius positio non est alterius exclusio. Egit ibi ex professo de Jure privato Imperator, non verò de publico. Mirum igitur haud est, quod principia Privati Juris saltim explicaverit.

Obj. V. Quod Jure Naturæ neque Gentes divisæ, neque Magistratus creati, sed omnes homines fuerint æquales. E.

Resp. Negando Consequentiam. Qualis sequela? Jure Naturæ nullæ civitates nullique Magistratus fuere. E. Jus Publicum ex præceptis Juris Naturalis collectum non est. Sufficit enim à natura quædam præcepta ad publicum bonum tendentia, homini esse indita, hinc & Aristoteles hominem vocat Animal Politicum.

Obj. VI. Hos probandi fontes una cum responsionibus adductis quidem quadrare ad Jus Publicum antiquum, neutiquam ad novum, quod ex Legibus fundamentalibus hauriendum. E.

Resp. Quadrant etiam ad novum, modo distingvamus inter Principia remota & proxima. Jus Naturæ, Gentium, ac Civile adhuc hodie titulo principiorum remotorum insignienda. *Be-sold. in Tractat. de Majest. Sect. 1. Cap. 1. Coras. de Art. Jur. L. 2. C. 2. Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. Publ. Disp. III. Qv. 3. p. 44. Wesenbec. in paratit. ff. de Inst. & Jur. Timæus Faber in Disp. Animadvers. Disp. 1. thes. II. Ungebaur. Exercit. Inst. 1. Qv. 14.*

## Controversia V.

Juris Publici tractatio præmittenda Juri Privato.

*Probatio.*

I.

**Q**uia Jus Publicum maximè facit ad inchoandum & continuandum discursum.

II. Conducit ad amplificanda præcepta Politica Geographica & Heraldica.

III. Taceo, quod flores historici non solum jucundum odorem spirent, sed invitent etiam amasios ad plenius imbibenda præcepta Historica.

*Resolutio.*

Obj. I. Quod ipse Imperator prærogativam concesserit  
Juri

Juri Privato, quia prius enodavit Jus privatum quam publicum, uti testantur Institutiones, Digesta & Codex.

Resp. Largior quoad specierum explicationem, neutiquam quoad earundem enumerationem & dignitatem. vid. L. I. §. 2. ff. de J. & J.

Obj. II. Multa occurrunt in Jure Publico, quæ lucem sibi foenerantur ex Jure Privato.

Resp. 1) Per inversionem: Multa occurrunt in Jure Privato, quæ lucem hauriunt ex Jure Publico. E. Jus Publicum præferendum.

2) Pauca erunt, quæ in subsidium ex Jure Privato adducuntur, ast illa vel à Doctore ab obscuritatis nebulis liberanda, vel plane sicco pede transilienda, & in tempus magis opportunum reservanda.

Obj. III. Major speranda utilitas ex Jure privato, quam Publico, uti non solum innumeræ Juris Publici controversiæ, sed & ipsa Judicia palam faciunt. E.

Resp. 1) Spira & Wezlarum infinitarum Publicarum controversiarum sunt testes.

2) Disting. inter id, quod immediatè promovet salutem Reipublicæ, & quod mediatè. Controversiæ Juris Privati mediatè promovent salutem Reipublicæ.

3) Notissima est Regula: Salus Reipublicæ suprema Lex esto.

Obj. IV. Aristoteles Juvenes ex Ethicorum ἀνεοαίησιω abesse jubet. E. & arcendi à Lectione Juris publici, adeoque hoc demum post absolutum Jus privatum tractandum.

Resp. 1) Non ætate nec tempore, sed ingenio adipiscitur Sapiencia teste Plauto.

2) Autoritas Philosophiæ tanta non est, ut Jctis Leges ponere possit. Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. Publ. Rom. Germ. p. 32. Schar Schmid. Syst. Jur. Publ. p. 3.

## Controversia VI.

De Juris Publici Existentia nemo dubitat, nisi qui ipsam experientiam impugnare audet.

### Probatio.

I.

Cujus datur definitio, illius & definitum. Jam verò Jurispublici datur exacta definitio, uti innumeri testantur Auctores. E.

II. Quia societas illustrissima datur inter Imperatorem Romano-Germanicum & Status Imperii, E. & datur Jus illustre, Jus enim est vinculum omnium societatum.

III. Datur æquitas publica & salus publica. E. & Jus publicum laborans pro consequenda salute publica.

IV. Occurrunt quotidie quædam, quæ utilia publicè, quædam quæ privatim. Teste Ulpiano. *Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. Publ. Rom. Germ. Disput. I. Quest. I.*

### Resolutio.

Obj. I. Per Legem Regiam omnimoda populi potestas omniaque regimina Reipublicæ ad Imperatores perpetuos translata, atque ita Jus populi & cum hoc Jus Publicum ad Principes translatum.

Resp. Dist. inter mutationem subjecti & formæ, ab illa ad hanc nulla datur consequentia. Quis enim ita concluderet: Respubl. popularis seu Democratica in Monarchicam est mutata. E. omnis Reipubl. forma sublata?

Obj. II. Sed Jus Publ. dicitur quasi Jus populi à Populo derivatum.

Resp. 1) Argumenta Etymologica sunt infirmi roboris.

2) Dist. inter Jus Publ. in statu Democratico & mixto seu irregulari. De priori si sermo est, ambabus manibus largior.

Obj. III. Per Legem Regiam omnis Jus Publ. privatique diffe-



differentia est abrogata, ita, ut quod ante Legem Regiam privatum, illud post eam Jus publicum dici cœperit. *L. 15. ff. ad L. Falcid.*

Resp. Dist. inter mutationem extrinsecam seu partialem, & intrinsecam seu totalem. De priori hîc sermo. Et quamvis etiam ipse Wesenbecius à contrariâ sententiâ non fuerit alienus, hoc dubium tamen explodit divisio Juris in Publicum & Privatum. §. ult. Instit. de J. J.

Obj. IV. Nulla Juris Publici in Jure nostro dantur vestigia. E.

Resp. 1) Hoc argumentum iterum sapit petitionem principii.

2) Dist. inter Jus Publicum antiquum & novum. Nulla certè datur sequela hujus Argumenti, si de novo, uti status controversiæ postulat, intelligendum.

3) Si asserendum, quod nullum hodiè detur Jus Publicum, maximè periculosa illa amplectenda sententia Rempubl. Romano-Germanicam rectam degenerâsse in corruptam.

Obj. V. Ulpianus tamen scribit Jus Publicum in Sacris Sacerdotibus & Magistratibus constituisse. E.

Resp. 1) Quid inde? manserunt & in sequentibus temporibus sacra, Sacerdotes & Magistratus. E. nec unquam cessavit Jus Publicum. *L. 1. §. 3. ff. de Just. & Jur.*

2) Dist. inter lectionem vulgatæ & Florentinarum, illa huic præjudicare haud valet.

Obj. VI. Sapientissimus Plinius Lib. 8. Ep. 14. Jus Senatorium, i. e. Jus Publicum prorsus abolitum conqueritur. E.

Resp. 1) Jus Senatorium erat saltem pars Juris Publ. antiqui. A parte autem ad totum non valet Consequentia.

2) Ibi sermo est non de abrogatione per Legem Regiam, sed per temporum injuriam.

3) Tandem Criticorum opiniones nobis in Jure Publico non possunt ponere Leges. *vid. R. Jac. Thomas. in Doctrin. Imp. Rom. Germ. Tab. IV. p. 4.*

Obj.

Obj. VII. Testamenti Factio Juris Publici est. *L. 3. ff. qui testam. facere possunt*, tutelaque munus publicum est. *§. 1. Instit. de Excusat. tutor.* E. Nulla differentia inter Jus Publicum & Privatum.

Resp. Hæc dicuntur esse Juris Publici in sensu improprio, quando id Juris Publ. esse intelligitur, quod singulorum spectat utilitatem, à Jure Publ. tamen ita regitur & dirigitur, ut in privatorum hominum potestate non sit: neutiquam in sensu proprio. *Aurel. Arcad. Charis. in L. 1. ff. de Off. præf. Prætor. Wesenbec. ad Tit. ff. de Just. & Jur. p. 15. Hopp. ad Instit. p. 27.*

## Controversia VII.

In probandis assertis Juris Publici ad Leges Romanas non est recurrendum.

### Probatio.

I.

Quia ille, qui secus facit, vitiosum transitum committit è genere in genus. h. e. ex uno objecto Juris in alterum.

II. Eo fine Jus Privatum non est exaratum, sed ad controversias decidendas, quæ inter personas privatas ventilantur, & ad administrandam justitiam circa causas privatorum.

III. Testatur & hoc autoritas *Nobilissimi Limnæi* aliorumque Publicistarum existimantium non licere arduas controversias publicas ad subtiles Legum Regulas examinare. *Limn. Tom. I. Jur. Publ. Lib. 1. c. 3. Conring. in Præfat. ad Tacit.*

### Resolutio.

Object. I. Jus civile sine dubio referendum inter principia Juris Publici. E. etiam utilitatem præbet in decidendis controversiis.

Resp. 1) Per instantiam: Geographia accuratè Titulo principii Juris Publici insignitur, nec tamen judicium decisivum sibi arrogat.

2) Dist.

2) Dist. inter præcipia remota & proxima. Ad priora, non posteriora referendum Jus Civile.

Obj. II. Occurrunt tamen non pauca materia Civiles, v. g. de Officiis Magistratum, de Jurisdictione simplici, mixto, mero Imperio, de incolis, advenis, de crimine læsæ Majestatis aliisque delictis, de venia ætatis, de restitutione in integrum, testamentis ac privilegiis &c. in Jure publico. E.

Resp. 1) per instantiam: Occurrunt etiam in Jure Privato multa Juris Publici materia. E.

2) Dist. inter materias Juris Publici merè tales & mixtas, quæ ex Jure privato ortum trahunt.

3) Ad has enucleandas in subsidium vocandæ sunt Leges Romanæ.

Obj. III. Multa tamen in Jure Civili occurrunt regulæ, quæ ex Jure Naturali & Gentium tanquam ex intimo Politicæ Sacratio petita. E.

Resp. Dist. inter Leges Romanas ut civiles, & quatenus sunt æquitatis ac justitiæ regulæ. Priori modo hujus loci non sunt, benè tamen posteriori.

Obj. IV. Facit tamen Jus Civile ad deducendas ulterius materias Juris Publici. E.

Resp. Dist. inter id, quod facit ad explicationem ac probationem, & ad illustrationem ac amplificationem. Conducit Jus Civile ad amplificandas æque ac illustrandas materias Juris Publici. *Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. Publ. Rom. Germ. p. 48.*

## *Controversia VIII.*

Historica Cognitio Juris Publici Cultori non modò summe utilis, sed & necessaria, præprimis si spectes Historiam Romano-Germanicam.

C

Pro-

## Probatio.

### I.

**Q**uia Historia est præteriti nuncia, futuri conjectatrix, fatorum repræsentatrix, antiquitatis interpres, & novitatis iudex.

II. Quia Historia repræsentat diversarum rerum publicarum ortus, occasiones, tempora, titulos, incrementa & decrementa, insigniores mutationes, status, potentiæ amplitudinem, belli pacisque tempora, familias & Genealogias eorum, qui pro tunc & nunc imperant.

III. In Jure Publico pensitandæ veniunt leges diversarum Rerumpublicarum, has verò historiæ evolutio detegit & explicat. *Schweder. Introd. ad Jus Publ. p. Vitriar. Illustr. p. m. 56. & 57.*

## Resolutio.

Obj. I. Universæ Historiæ unum datur corpus & absque omnium partium cognitione nemo Publicistarum ad debitam perfectionem adspirare valet. E.

Resp. 1) Unius positio non est alterius exclusio. Historia certè universalis & particularis non sunt opposita, sed subordinata.

2) Omnem scire historiam res potius divinitatis, quàm humanitatis est.

3) Dist. inter membra unita & inseparabilia. Non sequitur: Particulares historiæ mediante unione unum faciunt corpus historicum. E. sunt inseparabiles & una pars non potest esse absque altera.

4) Dist. inter historiam universalem compendiosam & exactissimam. Prior sufficit; Posterior vix in omnibus subjectis expectanda.

Obj. II. Pugnat cum L. 2. ff. de Just. & Jure, ex qua inferre licet, quod illi sapientes haud sint salutandi, qui veterem & antiquam historiam magni æstimant, & aliarum gentium propriam curæ

curæ cordique habent, recentem tamen ac Patriam plane contemnunt.

Sed Resp. Dist. inter id quod æstimatur primario & secundo. Primario æstimanda historia domestica, h. e. Romano-Germanica, secundo selecta, h. e. ea quæ ex historiis diversarum Reipublicarum colligitur & ad Statum præsentem applicatur.

Obj. III. Peregrinæ historiæ ad Patriæ Reipubl. administrationem plurimum conferunt; quia aliorum instituta, Jura & consuetudines ad ejusdem usum applicari possunt. E.

Resp. 1) Ignoti nulla cupido. Non entis nulla dantur prædicata. Ille, qui non bene cognitam ac perspectam habet Reip. Patriæ formam, nec valebit applicare Leges peregrinas.

2) Dist. inter historias selectas & in universum quadrantes. Priores hujus loci sunt. *Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. Publ. Rom. Germ. Diss. IV. p. 50. seq.*

## Controversia IX.

Ratio Status seu Interesse Reipublicæ principiis Juris Publici rectè annumeratur.

### Probatio.

#### I.

Quia salus Reipublicæ suprema Lex est, quæ & Imperantes certo modo obligat. *L. 5. ff. de Decret. ab Ord. fac.*

II. Reipublicæ Caput sagaces oculos dirigere tenetur ad Interesse Reipublicæ, & quidem, unum ad internum, alterum ad externum.

III. Quia informat Imperantes quomodo se gerere debeant in Republica bene constituenda & conservanda.

IV. Si negare nequit dari quoddam Jus Privatum singulare in unius & alterius commodum, ex singulari ratione constitutum. *L. 14. 15. 16. ff. de LL.* Quid vetat & tale admittere ob com-

modum multorum & bonum publicum. *Ludov. Septal. de Rat. Stat. D. Justus Sinold cognom. Schüz. in Colleg. Publ. de Stat. Rei Rom. Disp. 1. thes. 14. p. 14.*

### *Resolutio.*

Obj. I. Jus Publicum & Ratio Status habent commune objectum scil. actiones personarum publicarum, E. non differunt.

Resp. 1) Est petitio principii, quia differunt ut speciale & specialissimum. Illud est Jus Publ. hoc Ratio Status.

2) Largior quod convenient quoad objectum commune, neutiquam tamen quoad speciale. Actiones enim publicæ in genere spectant ad Jus Publ. In specie verò ad Rationem Status. Alii distinguunt inter objectum materiale & formale, asserentes convenire quidem hæc duo quoad prius, nequaquam quoad posterius.

3) Dist. inter actiones Personarum publicarum editas & edendas. Illæ ad Jus Publ. Hæ ad Rationem Status pertinent.

Obj. II. Ratio Status pugnat cum Ratione & justitia, quia ex Tyrannide & Atheismo originem ducit, & est Diaboli ratio, mare calamitatum à justitia status seu regni longè distans. *D. Just. Sinold, cognomento Schüz in Coll. Publ. de statu Reipubl. Roman. Disp. 1. th. 14. p. 14. seqq.*

Resp. Non accipienda Ratio Status hic loci in sensu abusive, prout à Machiavelli discipulis acceptatur, sed potius in sensu genuino.

Obj. III. Nullum speciale potest esse principium generalis. Sicuti verò Ratio Status in respectu ad Jus Publ. se habet ut speciale, ita Juris Publ. principium haud accuratè salutare potest.

Resp. Dist. inter Rationem Status in genere & hujus vel illius Reipublicæ. Illa est principium; hæc verò norma Reipublicæ, quia à non paucis Publicistis salutatur cynosura consiliorum intimorum.

Obj.

Obj. IV. Ratio Status teste *Tacito* iniquitatis & injustitiæ præ se fert speciem, quia non rarò privatam impedit salutem & æquitatem.

Resp. 1) Dist. inter id, quod videtur & reverà est. A videri ad esse non valet consequentia.

2) Dist. inter æquitatem publicam & privatam. Prior posteriori non solum hoc loco sed & semper derogat.

3) Dist. inter actum primum & secundum. Salus publica impedit actum secundum Privatæ salutis. *Scharfchmid in Syst. Juris publ. cap. 1. memb. 2. p. 3. Arnold. Clapmarius L. 4. de Arcanis Rerum Publ. cap. 2. Gottfr. Fiebig. Elect. Jur. Publ. Rom. Germ. Disp. 4. p. 60.*

## Controversia X.

Ars Heraldica Cultoribus Juris Publici insignem præbet utilitatem.

### Probatio.

#### I.

Quia rectè refertur inter principia Juris Publici.

II. Multum facit ad explicanda Insignia Imperantium, quorum cognitio studiosis Juris Publ. summè utilis.

III. Taceo quod Prætensiones clarissimam sibi inde fœnerentur lucem.

IV. Præprimis cum in cognatis disciplinis, v. g. in Politicis & Historicis non exigua hujus scientiæ detur utilitas. Conjugatorum autem eadem est ratio. *vid. Speneri Op. Herald. & Immanuel. Weberi Præcepta Heraldica.*

### Resolutio.

Obj. I. Multi dantur Publicistæ ignari hujus commendatæ Artis. E.

C 3

Resp.

Resp. Dist. inter perfectos & imperfectos. Hi in classem imperfectorum referendi ac collocandi.

Obj. II. Non pauca occurrunt perfecta Juris Publ. Systemata, in quibus ne minima Artis Heraldicæ fit mentio. E.

Resp. Dist. inter perfectionem absolutam & limitatam seu aliqualem. De hac, non illa gloriari possunt.

Obj. III. Totus Juris Vigor pendet ex Legibus obligantibus, Insignia verò vi obligandi non gaudent. E.

Resp. 1) Ita nec historia, nec notitia lingvarum Exoticarum Juris studiosis commendanda, quod absurdum!

2) Dist. inter partes essentielles & integrales. Ad posteriores spectat Ars Heraldica, non priores.

3) Dist. inter ea, quæ faciunt ad constitutionem & expositionem. Hunc, non illum Arti Heraldicæ tribuimus effectum.

Obj. IV. Tota Res meris absoluitur conjecturis. E.

Resp. 1) Non omnia principia Politica sunt apodictica, sed dantur & probabilia.

2) Sufficit quod faciant ad benè esse & ornamentum Juris Publici.

3) Tandem multa multarum familiarum Illustrium testantur insignia eorundem explicationes non niti meris Conjecturis, sed aperta veritate. *vid. Præsid. Annot. ad B. Jac. Thomas. Doctr. Rom. Imp. p. m. 12.*

COROL.



COROLLARIA  
ex Jure Naturali  
petita.

I.

*Existentiam Juris Naturalis firmiter probat existentia Societatum Naturalium, quia nulla datur Societas absque Jure.*

II.

*Juris Naturalis Cognitio Juris Cultori non solum summè utilis, sed maximè necessaria, arg. §. 3. J. de J. & J.*

III.

*Jus Naturale est Universale, hinc obligat Imperantes, immutabile etiam respectu DEI & indispensabile.*

IV.

*Proprie in bestias non cadit, nisi quatenus ab illo diriguntur teste Culpisio.*

V.

*Nec Jus Naturæ permisivum nec Commune sunt veræ Juris species.*

VI.

*Jus Naturale est ipsa Sanctissimi DEI Voluntas non scripta.*

VII.

*Formula illa, qua asseritur, quod Jus Naturæ obliget antece-*

95  
TK  
4466  
tecedenter in ordine ad voluntatem DEI, destruit  
DEI Majestatem & aternitatem.

VIII.

Moralistæ Pontificiorum, quia plus tribuunt Autorita-  
tæ Pontificis quam par est & non raro ex ratione sta-  
tus Ecclesiastici formant decisiones, cum grano Salis  
legendi.

IX.

Jus Naturæ non derivandum ex statu integritatis, nec  
ex bellicoso, sed Socialitatis.

X.

Dantur nonnulla, quæ Jure Naturali licita, Jure Gen-  
tium tamen prohibita sunt.



WMA

uit

ta-  
fa-  
lis

nec

en-

Pom TK, 4866 ah

ULB Halle

3

003 132 404





D

res

ma  
eni

cut

dar  
Pue


ms

om  
lata  
tra

har  
pub  
om

riva

reg




**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



**VI.**

no dubitat, nisi qui  
re audet.

tum. Jam verò Jurispu-  
nnumeri testantur Auto-

ur inter Imperatorem Ro-  
E. & datur Jus illustre, Jus

is publica. E. & Jus publi-  
publica.

n, quæ utila publicè, quæ-  
*Gottfr. Fiebig. Elect. Jur.*

animoda populi potestas  
eratores perpetuos trans-  
us Publicum ad Principes

jecti & formæ, ab illa ad  
nim ita concluderet: Res-  
narchicam est mutata. E.

asi Jus populi à Populo de-  
ca sunt infirmi roboris.

mocratico & mixto seu ir-  
ous manibus largior.

nis Juris Publ. privatique  
diffe-

